DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIV. NOVEMB.

M. MICHAELE DENYAV, Doctore Medico Præſide.

1087

Eſt ne ſolus ſanguis purus corporis noſtri alimentum?

SANGVIS iure dicitur theſaurus vitæ quæ eſt animæ eiuſque organi corporis per vnionem vtriuſque actus ſeu ἐντελέχεια ac in caloris cum humore ſocietate ſita eſſe perhibetur, hinc animalia ſanguine prædita exanguibus calidiora ſunt, & inter ſanguinea vberiori calore vigent quæ multo abundant ſanguine, eoque exhauſto totius corporis partes frigeſcunt, vitaque priuantur: natiuum calorem fouet ac tuetur, ſiue à corde illum ad omnia membra deriuando, ſiue vaporibus calidis, qui ex ipſo caloris iugi & perenni actione ſingulis momentis prodeunt, ſiue potiſſimum ſpiritu vitali ex eo in corde genito, & per arterias influente, ac demùm quia caloris partibus omnibus viuentibus ingeniti pabulum eſt ſingulare, quo deficiente nullomodo poſſet tum vita, tum animalium omnis operatio ſubſiſtere, ſanguis quippè ſpiritui confert, ſpiritus ſenſibus, ſenſus rationi, atque vt viuens ab anima, ſic pendet à ſanguine cui naturalis eſt inditus calor & ſpiritus humori primigenio conſocialis, corporis & animæ vinculum, præcipuum obeundarum actionum inſtrumentum.

CONSTAMVS iiſdem quibus nutrimur, eandem oportuit nutritionis eſſe materiam, quæ generationis fuit & compoſitionis, & ex qua primùm ſubſtantiâ conflata fuerunt corpora noſtra, eadem poſtmodum neceſſariò ſeruari & nutriri debent: communis omnium parens natura, erudita, prouida & ſagax licet à nullo edocta, vt ab vtroque parente ſemen in vterum iniectum, conceptum, animatum, tutiùs firmiúſque complecteretur, effecit vt per venas arteriáſque vmbilicales iam diſtincta genitura inſita quadam virtute maternum ſanguinem menſtruum, nimiâ duntaxat quantitate excrementum, ad ſe traheret & alliceret, eumque puriſſimum ac dulciſſimum; qui primùm in hepar fontem grarioſi humoris refuſus, tùm in cor vitæ principium, caloris & viuifici nectaris originem ſenſim illabens, mox etiam in reliquas partes carnoſas refluens, ipſas eodem illo ordine implet & extendit, auget ſpermaticas, & in omnium nutritionem conuertitur, fœtum quoque ipſum, cui nullus eſt certus in lucem prodeundi terminus, ſuſtentat.

ALIMENTVM omne dulce ſit neceſſe eſt, hoc vnico humore ad ſui alimoniam vtitur natura, omniſque vita calore & humore ſuſtinetur, ex humoribus omnibus ſolus ſanguis purus his duabus gaudet dotibus; bilis amara eſt, calida & ſicca; Melancholia acida, frigida & ſicca, quæ qualitates non vitæ proroganda ac conſeruandæ ſunt idoneæ, ſed morti accelerandæ præſto ſunt, pituita inſipida, frigida & humida, necſatis cocta, ſuapte indole vitæ potiùs noxia eſt, neque nutrit quandiu adeſt ſanguis, neque eo conſumpto & exhauſto poteſt ipſamet vllum ſuggerere alimentum, niſi magis elaborata mutetur in ſanguinem, quo velut benigno & dulci humore corpora reficiantur: hic ſolus humor temporis progreſſu ab interno & natiuo calore nunquam otiante magis coctus in ſanguinem cedere poteſt & nutrire; neutra bilis poteſt, flaua nimis aduſta eſt & ſicca, & per inediam amarior redditur, atra vero terrea eſt & ſicca: vtraque temperari & corrigi quodammodo poreſt, & ad qualitatum mediocritatem adduci, ſubſtantiæ tamen benignitatem nunquam aſſequitur, quæ in corporis nutricatum faceſſere valeat.

QVANQVAM in iecore humor melancholicus & bilioſus à ſanguine ſecernantur, & in liene ac cyſti fellis velut propriis conceptaculis recipiantur, ne quod in iis nimis fœculentum eſt & ſordidum animali obeſſet, ſi per corpus diſpergeretur, aliquid tamen eorum retinetur, quod per venas ſimul cum ſanguine in totum corpus diſtribuatur, bilis quidem eſt velut ſtimulus ad impellendum alimentum, & expelleudum excrementum, ſanguinem in venis tenuiorem reddit, vt anguſtos partium meatus peruadat, eiuſque diſtributionem promoueat: Melancholia non ſolum innatâ ſibi acciditate pungendo ventriculum appetentiam cibi excitat, orificium ſuperius ventriculi conſtringit, eumque totum contrahit, vt exactè cibum complectatur, ſed dum ſimul cum ſanguine permiſta eſt, retentricem facultatem frigore & ſiccitate roborat, ſanguinem cogit, & ſolidioribus membris omninò adiungit, vt facilior ſit ac perfectior in illorum ſubſtantiam ac naturam conuerſio; Pituita non modò à præmaturâ ſiccitate vindicat, ſed ſanguinis defectum & alimenti locum ſupplet, caloriſque voracitati obſiſtit, hinc alendo corpori futura, ſi neceſſitas exigit, idonea per venas in vniuerſum corpus diffunditur; humores tamen iſti natiuo calori & humido radicali reſtaurando ſuopte genio nequaquam pares eſſe poſſunt; imò contrarias & repugnantes prorſus habent qualitates, inficere potiùs quàm reficere poſſunt.

NVTRITIO ſi quidem eſt alimenti in propriam corporis viuentis ſubſtantiam vi animæ & natiui caloris tranſmutati vnio naturalis vt reparetur id quod abſumitur, non elementa, odores, metalla aut lapides alunt, nutrimentum corpus eſt facultate animatum, ita tamen vt actu animatum fieri poſſit, corpori alendo tum contrarium, tum ſimile, ea tantum quæ vixerunt nobis nutricatum præbent, vt plantæ, animalia, aut quæ ab his decerpta ſunt: non chylus, ſed ſolus ſanguis eſt naturæ condimentum ac deliciæ, nihil quidquam illi gratiùs ſapit, qui maximâ ex parte ſuis excrementis expurgatus per venas in ſingulas partes hepatis eo abundè ſatiati virtute expultrice pellitur, ab illis etiam ob ſummam ſubſtantiæ cum eo ſimilitudinem trahitur, quo tracto perfruuntur, & intercedentibus præuiis mutationibus nutriuntur; ſanguinis natura tota optima eſt, & ita temperata, vt tanquam ex quatuor elementis compoſitus quaſdam habeat craſſiores & terreas magis partes, alias tenuiores & aëreas, alias aquæ & igni reſpondentes: Quæ omnes vel in puriſſimo ſanguine obſeruantur; adeovt ex craſſioribus illius partibus craſſiora membra, ex tenuioribus tenuiora formentur ac nutriantur, & qui omnem abſoluit alimenti tranſmutationem calor, minimè ſit vrens aut aſſans, cuiuſmodi eſt igneus, ſed elixans, qui alimentum efficit calidum & humidum, quæ temperies ſoli ſanguini propria eſt.

Ergo ſolus ſanguis purus eſt corporis noſtri alimentum.

5727

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus Regnier.
M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.

M. Simon Boulot.
M. Claudius Tardi.
M. Ioannes Foreſtier.

M. Ioannes de Bourges Profeſſ. Botan.
M. Franciſcus Boujonnier Profeſſ. Pharm.
M. Franciſcus Mandat.

Proponebat Lutetiæ PETRVS POVRRET Prouincialis, A. R. S. H. M. DC. LVIII.